POST TENEBRAS LVX

POST TENEBRAS LVX

E.15.53

CONCIO AD CLERVM HABITA OXONIÆ IN *Comitijs Iul.* 12. 1625.

BIBL. CANT. ACAD.

PER
RICH. PARRE. S.S.
Theol. Bac. Coll. Aeneimsi Socium.

OXON.

Excudebat GVILIELMVS TVRNER, *celeberrimæ Academiæ Typographus.*
M.DC. XXVIII.

146.;01

ILL
D.D.
de S
Tich

ordin
cætu
clepsy
nere
Oste
Esse

ILLVSTRISSIMO D.D. THOMAE COMITI *de Southampton Baroni de* Tichfield Domino meo & *Mæcenati Colendiſſimo.*

AMbitioſus videri poſſum (*Illuſtriſſime Comes*) qui quod plerique mei ordinis homines ſatis habent in cætu Academicorum ad vnius clepſydræ hauſtum ſemel proponere

Oſtendunt tantum —nec vltra
Eſſe ſinunt.

Ego typis mandare, & aliquo modo publici iuris facere voluerim: Ambitiosior verò, quòd rem tantillam Tanto Nomini præfidenter inscripserim. Causantur ferè qui scripta sua in lucem emittunt, vt modestiùs feciſſe videantur amicorum preces, aut quid eiusmodi: ego (quod res est) ingenuè fateri mallem. Cùm in clientela tua illustri non sine honore per aliquot annos nomen à sacris obtineam, nec statim accurrebat quo testimonium officij et observantiæ meæ satis dignum extaret, hoc quantulo-cunque σχεδιασμῶι *celsetudinem tuam venerari ausus sum. Addebat animum vt id facerem, præter officij rationem, cogitatio Heroici*

candoris

candoris tui, qui vel in tenui conditione hominum voluntates benigne interpretari ſolet. Et in hoc certè, vt & in alijs animi dotibus Henricum parentem πολυμαθῆ, virum principem & dum viueret, in pacis bellique artibus conſummatiſſimum, adeò refers Sic oculos ſic ille manus ſic ora ferebat.

Vt qui publico patriæ damno paucis ab hinc annis in Belgio deceſſerit: tranſmiſſa quaſi virtutum ſuarum ad Te hæreditate triſte ſui deſiderium nobis lenierit.

Quo certè nomine ſi minùs gratulari (nec is fortaſſe nunc rerum color) habet ſaltem vnde ſe conſolari poſſit Anglia noſtra,

cùm post clades aliquot insignes quæ proximis his omnis πάντας ἐφεξῆς *nobis abstulerunt, supereſſe videat è familia VVriothſliana ſurculum efflorescentem quem*

Et pater Aeneas & avunculus excitat Hector

Qui nobiliſſimi et nunquam ſatis laudati genitoris reliquias aliquando perſequatur.

Hoc de generoſâ tua indole (Comes Illuſtriſſime) quæ vel in iſta ætate nondum majore ad ſublimia emicat, cogitatione quaſi præcipere, & ſperare omnes quibus religio purior cordi eſt aut aliquis publici boni ſenſus, nõ eſt dubium. Ego autẽ vt id fiat non optare modò cum alijs debeo, ſed

ſed & (quæ meæ partes propriæ ſunt) ſeperatim & peculiari voto ad aram Diuini Numinis aſſiduè litabo.

Honoris tui

Sacellanus ab omni officio

Devotiſſimus

R. Parre.

ERRATA.

Pag.	lin.	err.	corr.
2.	3.	*hypoſis*	*hypocriſis.*
ibid.	4.	*tollerabilius*	*tolerabilius.*
7.	in marg.	*Sebneueri,leg.*	*Sebnecceri.*
9.	3 in marg	add.2.*Tim.* 2.19.	
12.	in marg.	*lib.* 3.*de not.lege Bellar.lib.*4.	*de not.*
14.	4.	*qua profitetur*	*quam profitetur.*
15.	17.	*Iudei*	*Iudæi.*
16.	5.	*cæpit*	*cepit.*
ibid.	18.	*Synagoga*	*Synagoga.*
20.	vlt.	*deſinerit*	*deſiuerit.*
22.	penult.	*Cecilia*	*Clicia.*
27.	21.	*Aſelmus*	*Anſelmus.*
ibid.	24	*penitentia*	*pœnitentia.*
28.	17.	*morale*	*mortale.*
34.	12.	*&*	*eſſe.*
37.	4.	*denorârunt*	*denouerunt.*
40.	16.	*retinerunt*	*retinuerunt*
41.	3.	*blaſphæmum*	*blaſphemum.*
44.	15.	*futura*	*futuræ.*
45.	9.	*dignitate*	*dignatione.*
ibid.	21.	*nolst è*	*nolite.*
46.	4.	*purpuratis*	*purpurati.*

Apocal: 3. 4.

Sunt tamen pauca nomina etiam in Sardibus, qui non inquinârunt veſtimenta ſua, ideoque incedent mecum in albis, quia digni ſunt.

QUÆ duo multis retrò ab hinc annis Eccleſiam Dei, orbemque literarum infeſtârunt maximè, & etiam ad hunc vſq; diem, ad hanc horam infeſtare ſatagunt (viri patres, & fratres in Chriſto dilectiſſimi) eorum vnum, *hæreſis* eſt, alterum, *hypocriſis*, ſiue ſimulata ſanctitas; illud Eccleſiæ, ſiue domus Dei impetit fundamentum vt læſo fundamine nutet tota domus; hoc conuellit ſtructuram, vt hoſtis Eccleſiæ infæliciter tandem inſultet, *Quis Deus hæc nobis rudera fecit?* *hæreſis* ſcelus eſt eò peſtilentius, quòd

latiùs se diffundit, quòd altiùs penetrat, totiusque religionis basin, seu fundamentum, subuertit: *hypocrisis* verò scelus est eo tollerabilius, quòd nec tam longè latéque se diffundit, nec aduersus basin Ecclesiæ insurgit, fidem scilicet catholicam, *Petram*, super quam, Deus fundauit Ecclesiam; Sed structuræ minatur ruinam, seduloq; contendit internæ professionis candori, maculas suas inurere, & sub pretextu religionis turpiter inquinare. Atque inter Ecclesias dei, maculis sic conspersas, & fœdæ hypocriseos nota inustas, Ecclesia *Sardica* (quam nobis indigitat textus) caput suum extulit, præ alijs namque summam pietatem erga eos qui foris sunt, pretendit; fidem ore iactitat, opera autem fidei non præstat; pastor huius populi titulis, & honore sublimis est, sed vita eius vndique circumuallata peccatis, & qualis pastor

paſtor, talis populus: *neuter recti cuſtos, imitator honeſti, & nihil arcanos qui roget ore Deos*: quàm optimè callent ſimulandi artem, ſucumque meretricium, adeo vt non obſtante ſingularis cuiuſdam ſanctitatis ſpecie, habituque virginis, pudorem omnem abiecerit *Sardis*, detexerit nuditatem, meretrix facta ſit, & libidini omnium proſtituta. Sed numquid omnes ſic arguendi intra *Sardium* fines? quaſi *Sardis iam tota lupanar*, & vniuerſus populus eſſet fœdæ hypocriſeos notâ inurendus? num tota rerum facies aut vmbra, aut inanis, aut fallax? abſit: quamuis enim vbique penè graſſetur iniquitas ſub pretextu religionis, licèt *hypocriſis* (tanquàm morbus Epidemicus) totum penè infecit corpus politicum, omnes tamen non ſic didicêre ſimulandi artem, ſed *pauci ſunt etiam in Sardibus* quorum virtus pug-

nat ſimpliciore manu, qui ſincerè, & candidè agunt, nec *ore aliud, taciteque aliud ſub pectore condunt*: porrò, licèt maior pars ſit peior, longèque deflexit a primæuâ ſanctitatis ſemitâ, omnes tamen non ſic deuiârunt, ſed *pauci ſunt in Sardibus, qui* vel ingruente lue, ſibi cauerunt religioſiſſimè, nec vitiorum ſordibus maculârunt conſcientias ſuas, *Sunt tamen pauci &c.*

Quæ hinc facilè emergunt, ad tria rerum capita reducimus.

1 Eſt *recognitio* per viam laudationis.

2 Eſt *remuneratio* per viam promiſſionis.

3 Eſt *cauſa* ſiue ratio per viam diuinæ acceptationis.

Recognitio per viam laudationis ſe prodit in primis verbis *Sunt tamẽ pauca nomina etiam in Sardibus qui non inquinârunt veſtimenta ſua.*

Remuneratio per viam promiſſionis

nis habetur in ſequentibus *ideòque incedent mecum in albis.*

Ratio demùm per viam diuinæ acceptationis, in vltimis *quia digni ſunt. Recognitio* eſt quorundam viatorum in terris militantium, & in gremio Eccleſiæ latentium: atque hìc nobis deſcribuntur triplici circumſtantiâ.

1. quoad *ſuam quantitatem.*
2. quoad *ſuum vbi.*
3. quoad *ſuam qualitatem.*

1. Quoad *ſuam quantitatem*, in eo quòd *pauca ſunt, ſunt tamen pauca nomina.*

2. Quoad *ſuum vbi*, ſeu locum, in eo quòd *Sardibus* ſunt, *Sunt tamen pauca nomina etiam in Sardibus.*

3 Quoad *ſuam qualitatem quòd non inquinârunt veſtimenta ſua* de hiſce ſingulis, aſſiſtentiâ Spiritus Sancti, & candore veſtro ſigillatìm, & ſuo ordine, & primò de *recognitione* in genere, *Sunt tamen pauca no-*

nomina.

Quàm oportunè mihi jam contigit magnum diuinitatis *Christi* argumentum, cum idem *Christus* qui infirmitates nostras in humana susceptit naturâ,& Deus extitit, & omniscius in personâ? nam licèt totum *Sardensium* simulationis hypocriticæ obueletur firmamentum,nubeculas tamen facilè penetrauit *Christi* oculus,fucata hominum inspexit corda, sinceros ab hypocritis discernit, quiq; sibi cauerũt religiosissimè,nec conscientias inquinarunt, eos ingenuè agnoscit. *Sunt tamen pauca nomina qui non inquinarunt vestimenta.* Sic *Christus* diuinæ particeps fit naturæ,& in ipso recondita sint omnes scientiæ thesauri, cum scrutari corda,nec hominis sit, nec Angeli,sed solius Dei; nec admittit omniscientia hæc Christi realem aliquam proprietatum communicationem, monstrosum hoc est * *Lu-*

theranorum

theranorum figmentum, cum perſonæ tantum competit, & diuinæ naturæ, non autem humanæ, nam licèt totus Chriſtus ſit omniſcius in perſona, non tamen totum Chriſti in vtrâque natura; At quâ tandem ſcientiâ hæc pauca ſciuit nomina? transeo [b] *Ieſuiticam* illam de ſcientia Dei diſtinctionem, in *naturalem*, merè *liberam*, & *mediam*, prodit, & ſufficit vulgaris *Scholaſticorum* diuiſio in notitiam *ſimplicis intelligentiæ*, & *approbationis*; *Chriſtus* igitur hæc *pauca* ſciuit *nomina*, non ſolùm per notitiam *ſimplicis intelligentiæ* quâ omnia cognoſcit & à ſe, & in ſe, ſed *etiam approbationis*, & per notitiam diuinæ predeſtinationis (vt loquitur *Aquinas*:) Sic inuitis hæreſiarchis Chriſtus filius Dei eſt non adoptione, ſed origine, non nuncupatione ſed veritate, non creatione, ſed natiuitate, (Sic *Hillarius*,) quem commendat nobis ſacra pagina, &

* *Brentii, Wigandi Selneceri Swidulini hincque oritur vbiquiſtarum error.*

[b] *ſonſeca 6. metaphyſ. q. 6. ſect. 8. Molina: Leſſius, Valentia 1. parte diſp. 19. qu. 14. Suarez in opuſc. Vaſquez. 1. part. diſp. 65. et alii. De ſcientia Dei, vide Aquinat. parte 1. q. 14. vbi de ipſa diſput. per. 16. ar.*

ex patre, & in patre, & cum patre: quòd dicitur ex patre, ineffabilis est natiuitas: quòd in patre, consubstantialis vnitas: quòd cum patre, æqualitas maiestatis, (sic *Bernardus*;) hic ipse *Christus* qui filius Dei non factus, sed natus, (vt loquitur *Lombardus*) non apprehensione tantùm, sed approbatione, non successione, sed vno intuitu, vnâque intelligendi actione hæc *pauca* sciuit *nomina* nec solùm numerum formalem horum nominum sciuit Christus qui est supra omnes Deus in secula laudandus, (ad *Ro. 9.*) quod quidã autumarũt qui dixerũt predestinatorũ numerum certũ esse *formaliter*, sed non *materialiter*: quasi dicat quispiã quòd centum, vel mille saluentur, non autem quòd hi, vel illi, (referente *Thomâ parte prima, quæst: 23. art. 7.*) nec solùm (inquam) numerum *formalem*, sed *materialem* etiam sciuit *Christus* quum dicit, quòd *nomina*

De gentratione filii a patre. Vid. Lomb. l. 1. sent. dist. 4. 5. 6. 7. et scolast. in eundem.

mina eorum ſcripta ſunt in Cœlis, Luc. 10. 20.) Cui etiam ſuffragatur divus *Paul.* ad *Timo. firmum ſtat Dei fundamentum, & habet hoc ſigillum, Nouit Dominus qui ſunt ſui*; O quanta eſt hæc pijs Conſolatio! quàm magna excellentia alicuius Sancti, quòd Chriſtus dicitur eum nominatim ſcire, ſicut *Deus* dixit *Moiſi cognoui te ex nomine, Exod.* 33. 12. Quid ſi igitur ſancti militantes abſconditi ſunt, & eorũ ſplendor non appareat exteriùs? quid ſi in caueas terræ coacti fugiunt, & ſpeluncas? quid ſi latuerint tenebrarum antro, & dẽſiſſimis Papatus irretiti ſuperſtitionibus captiui tenentur? hoc tamen ſolamen miſeris, quòd *Iouis omnia plena, Chriſtus* omniſcius eſt, quòd Chriſtus nouit ſeruos ſuos particularitèr, & per nomina, quippè Chriſtus bonus paſtor eſt *qui vocat oues per nomina, Ioann:* 10. 3. Et hinc eſt quod cum totam Sardenſium

densium perscrutatus sit metropolin, pauca duntaxat nomina, paucos tantummodò fideles, & verè Catholicos inuenerit, vt vobis appareat *quantitas* horum nominum, quæ est prima huius *recognitionis* circumstantia: & sic transeo à *recognitione* horum nominum in genere, ad *quantitatem* eorum, in eo quod pauca sunt. *Sunt tamen pauca nomina.*

Sunt tamen pauca nomina Sunt pauci quorum nomina Deo sunt nota, (i.) quorum singulos Deus nouit & amat, sic *Ambrosius, Beda* per pauca nomina intelligit electos, & predestinatos, quia horum duntaxat nomina scripta sunt in cœlo, & libro vitæ; per pauca nomina [c] *Suarez* intelligit paucas familias: [f] *Pareus*, paucas personas: *Iacobus rex serenissimus*, paucos spectabiles homines qui cæterorum exemplo mores suos non deturparunt: quicquid demùm

[d] Iacob. Suarez. in locum. In locum. In locum.

demùm ſunt hæc nomina, ſiue familiæ, ſiue perſonæ, ſiue ſpectabiles homines, hoc vnum ſcio, quod *pauca* ſunt, *ſunt tamen pauca nomina*. In hac ampla Sardenſi Eccleſia, multi erant profeſſores externi, pauci autem profitentes veri. multi externè vocati per predicationem verbi, electi verò pauci, *Mat.* 22. 14. Non eſt itaque multitudo ſeu turba hominum nota *Eccleſiæ Catholicæ* perpetua, (vti clamat tota *Ieſuitarum* cohors,) cum neque nota eſſentialis ſit, nam in *Adamo*, & *Aeua*, *in Noe* eiuſque familia fuit Eccleſia: neque nota propria, ſed communis affectio & accidentaria: denique, ne nota quidem ſed conditio eſt, & attributum Eccleſiæ, tam varians & inſtabile, quam quod maxime, ſi ad communem vſum & ſpeciem Eccleſiæ reſpexeris: vti annotauit *Iunius in animad. in Bell. de notis Eccleſiæ.* at inſurgit *Bellarminus* infirmo quodam

quodam f *Vincentij* armatus clypeo, & illos esse Catholicos dicit, qui tenent, quod semper, quod vbique, & quod ab omnibus creditum est, & sic cecinit triumphum, quasi jam dissipasset flatu immorigeros hæretico que greges: Nos quidem Ecclesiam Catholicam esse amplam fatemur, quæ non modò omnia tempora, sed omnia etiam loca, & nationes, omniaque hominum genera complectitur, non tamen continuò Catholica est, quod à plurimis, maximâque hominum turbâ, atque adeò ab omnibus passim hominibus tenetur: sed quod omnes rectè sentientes, & scripturæ normam sequentes tenent, illud demùm verè Catholicum est: *multitudo sociorum nequaquam te Catholicum, sed potiùs hæreticum esse demonstrabit (inquit Hieronimus in nomine Attici ad Critobulũ Pelagianum.)* Nec minùs appositè *Nicholaus* 1 *in Ep. ad*

f *Lirinen. aduers. profan. hæres. nouat. lib. aur. lib. 4. de rotis Eccles. cap. 7.*

ad Michaelem Imperatorem, numerus puſillus non obeſt, vbi abundat pietas, nec multiplex prodeſt, vbi abundat impietas: Nolite igitur gloriari in multitudine, quia, non multitudo, ſed cauſa, juſtificationem, vel damnationem adducit, Eccleſiam hæreticam vel Catholicam demonſtrabit; Eccleſia enim ſemper fuit, & manſit Catholica etiam in tempore Cataclyſmi, quando parietibus priuatæ domus *Noah* claudebatur, manſit Catholica ſub *Patriarchis* quando idololatria *gentilis* longè lateque graſſabatur: manſit Catholica, ſub *Eliah qui clamat, ſe ſolum ex veris Dei cultoribus eſſe relictum ſuperſtitem*: manſit Catholica tempore nati *Chriſti*, quando verè fideles erant admodùm rari; manſit Catholica tempore invaleſcentis *Arrianiſmi*, quandò longè plures ὁμοιουσιους repudiabant, quàm acceptabant. Eccleſia igitur dicitur

Catholica

Catholica, non quia latè circùm dispersa, sed dicitur Catholica à *Catholicismo interno* veritatis; quia fides seu doctrina qua profitetur sit Catholica, id est, vnanimi *Prophetarum* & *Apostolorum* consensu approbata; Sit etiam hinc & illinc diffusa, ad Orientem in *Indijs*, ad Occidentem in *America*, ad Septentrionem in *Iaponia*, & ad meridiem in *Brasilia* (*vti iactat Bellarminus*,) non tamen ideò est Catholica, cum interno fidei Catholicismo sit destituta, quæ sola Ecclesiam constituit Catholicam; Si enim vaga hominum turba quorum professio est in ore sine fide in corde, esset nota Ecclesiæ perpetua, tum *Cainica* Ecclesia ante diluuium habuit de quo iactitet, quæ multitudine professorum longè superabat veram Ecclesiam Patriarcharum: habet etiam de quo glorietur *Baalitica* Idololatria, & quæuis hæretica hominum

minum ſecta *Arianiſmi*, ſecta *Mahumetiſmi*, & ſecta *Iudaiſmi* quæ in Occidentem, & Orientē ſe diffudit; Interim, ſit ſplēdor Eccleſiæ, in honorē Eccl. ſit etiā multitudo, nota qualis qualis, non tamen eſſentialis & perpetua, ſed accidētalis & mutabilis, nā Eccleſia, ſicut Luna, ſuā mutuatur lucem, ideòque defectus ſuos & ortus habeat frequentes neceſſe eſt; prætereà inſpiciamus pauliſper progreſſum Eccleſiæ, tres Eccleſiæ ætates, contemplemur infantiam, adoleſcentiam, ſenectutem: in principio verò, ſeu infantia Eccleſiæ pauciores erant Chriſtiani verè fideles, quàm *Iudei* aduerſarij (inquit ipſe *Bellarminus*:) in medio, ſeu adoleſcentia Eccleſiæ (vt taceam decem illas perſecutiones Eccleſiæ in quibus, templa Chriſtianorum euerſa, libri ſacri exuſti, Paſtores conquiſitis tormentis cruciati, & interfecti erant) quot indiès pullulant

pullulant hæreſes, quæ cladem Eccleſiæ, omnibus perſecutionibus atrociorem inuexerunt? vndè eſt quod clamat *Hilarius*: Malè vos parietum amor cæpit, malé Eccleſiam Dei in tectis, ædificijſque veneramini; montes mihi & lacus, & carceres ſunt tutiores: in fine demùm Eccleſiam non futuram eſſe amplam vbique confirmat Scriptura. *Chriſtus cum venerit paucos inuenit*, *Luc.* 13. 8. maior pars ſequitur (illo tempore) *Antichriſtum, omnes adorabant beſtiam, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ*, *Apoc.* 13. 8. & ſi alicui cætui competit hæc nota multitudinis, erit Synagogæ *Satanæ*, quæ ſemper amplior eſt Eccleſiâ *Chriſti*; nam *Diabolus* primus Princeps huius mundi, dominari dicitur in omnibus reprobis & infidelibus; Nè igitur offendamur vel paucitate membrorum Eccleſiæ noſtræ, vel multitudine Synagogæ

nagogæ Romanæ: habet illa forsan vulgus, nos Angelos: habet illa temeritatem & audaciam, nos fidem, illa minas, nos preces, illa demum habet argentum, nos purgatam fidei doctrinam: Adeò si res cum re, causa cum causa, & ratio cum ratione certet, liquidè constabit Ecclesiam reformatam non minus spaciosam esse quàm Romanam. Amplam esse nostram testor *Bellarminum* oratione præfixâ *To. 4. Volantes currus* (inquit) *mirâ indicât velocitatequâ noua ista secta (mẽdaciũ Iesuitæpro more indulgeamus) sese per varias regiones effudit, nã non cõtenta occiduis & aquilonaribus regnis, ad Orientem quoque, & Meridiem, ad Græcos, ad Indos, ad ipsum nouum orbem nauigare ausa est*, nos pro tantâ beatitudine gratissimi sumus, non tamen Thrasonicè gloriabundi, quia non tam latifundia quærimus, quàm purgatam fidei doctrinam, eiusque

professores qui rectè nôrunt *rationem reddere de fide quam profitentur:* ideò enim Ecclesia nostra est æquè spacioſa ac Romana, quia multitudo Papistica cæca, & stupida est, planè bruta, et asinorum mandra (vt loquitur *Scioppius*,) non plus sciunt plerique inter illos quàm stipites, nihil de Deo: nihil de Christo: nihil de Ecclesia: nihil de fide quam profitentur sciunt, nisi vt *Carbonarius* ille qui credidisse se dixit & credit Ecclesia: at interogatus, quid crederet Ecclesia? respondet, qd ipse credidit: (vt rectissimè obseruauit *noster Whitakerus:*) hoc vlcus est Romanæ Eccl. acriùs tamen eos pungit *Nicholaus Clemanges in libro suo, insignito titulo de corrupto Ecclesiæ statu è manuscriptis nuper eruto,* vbi Cardinales, Cameram Apostolicam, totumque redarguit sacerdotium, vbi etiam monasteria nuncupat execranda *Veneris* prostibula:

Ecquis

Ecquis iam eſt (patres & fratres) qui mallet in ſuum precipitanter ruere exitium, cum tali multitudine, quàm cum paucis ſapere ad ſobrietatem, quàm cum paucis (quibus promittitur regnum cœlorum) ſalutem conſequi æternam? Ne igitur timete (grex exigue,) etiam in *Sardenſi Eccleſia*, quid ſi enim circumſtent vos vndique hypocritæ? quid ſi pontificent illi in procinctu? vobis tamen promittitur, & vobis dabitur regnum cœlorum: Ne igitur timete, ſed ſtrenuè agite, & fortiter ad vltimum virium, nam anguſta eſt porta, & ſtricta via quæ ducit ad vitam æternam, & pauci ſunt qui inueniunt eam: & ſic tranſeo à *quantitate* horum nominum in eo quod *Pauca ſunt*, ad *locum*, ſeu *vbi* eorum, in eo quod *Sardibus* ſunt, *Sunt tamen pauca nomina in Sardibus*.

Sardis eſt florentiſſimæ, & celeberrimæ

berrimæ vrbis nomen, Lydorum regis ſedes (vt annotauit *Beza*,) quæ à iucunditate ſic dicta, Metropolis *Lydiæ* fuit quindecim miliaribus diſtans ab *Epheſo*, admodùm celebris apud *Herodotum*, quia reges *Perſici*, deuicto *Cræſo* ibi ſedem ſuorum preſidum collocari voluerunt, vti refert *Mathias Hoe in Apocalipſin*: quæ ſanè politia hypocritico laborat vitio, & tota facies externa huius informi & fœdo deformatur peccato, vt iam non facile fuerit inuenire Sardin in Sardi, nec Eccleſiam in Eccleſia, ſed qui ſcrutatur corda & renes, ille peculiares eius tandem aperté confitetur ſeruos, dicens: quòd *pauca ſunt nomina etiam in Sardibus*: iactãt hodiè Catholici perpetuam profeſſorum turbã, & magno ſtrepitu petunt, vbi fuit Eccleſia noſtra ante *Lutheri* tempora? quaſi Eccleſia ſuum omnino eſſe reliquerit, quia viſibilis eſſe deſinerit,

In locum.

rit, vel quasi à negatione externæ apparentiæ ad negationem ipsius essentiæ possit efficacitèr concludi: *nullane exiſtit luna* (inquit *Aug.*) *in interlunio, quia nulla apparet?* sed demus quæsitum: vbi fuit Ecclesia nostra ante *Lutheri* tempora? quid si respondeam, fuisse tunc tēporis, in gremio Ecclesiæ Romanæ? ibi enim mansit decalogus; ibi mansit Symbolum Apostolicum: ibi mansit oratio dominica, mansit historia passionis Dominicæ: mansit baptismus regenerationis: manserunt denique sacramenta, nonnullaque Christianæ religionis capita incorrupta; Ecquis vero dubitet quin per hæc media spiritus sanctus in quorundam cordibus fuerit efficax ad salutem? quod si quidam superstites fuerunt verè pij & credentes, vtique etiam superstes mansit Ecclesia; quis vnquam arbitraretur viuos & verè Catholicos professo-

res esse inter Sardenses mortuos? habet tamen *pauca* hæc ciuitas *nomina*, viua Christi membra, *qui non inquinarunt vestimenta sua*; quidni, & nos, (si curiosa indagine inquiramus,) Protestantes, admirandæ probitatis viros in *Italia* habeamus? imò etiam in *Roma*? quidni in augusto Papæ palatio? *salutant vos omnes, maximè verò sancti, qui sunt ex Cæsaris domo; Phil.* 4. 22. Si in Curia crudelissimi *Neronis* habitarunt sancti militantes, cur non etiam in glorioso *Pontificis Romani* Castro, nisi in *Christianos* multò crudelior sit *Papa*, quam fuit *Nero*, horrendum illud naturæ monstrum! Sed clamãt *Rhemenses* se nunquam audiuisse de *Protestantium* Ecclesia: & nos reclamamus, multas Ecclesias nunquàm audiuisse de *Pontifice Romano*; vt Ecclesiæ quamplures in *Asia*, *Cecilia*, *Armenia*, *Palestina*, *Tartaria*, & *insulis orientalibus*, de quibus

Paulus

Paulus Venetus, & *Alioſus Cadamaſter*: tales etiam ſunt in *Africa*, in *Ægypto*, in *Æthiopia*, de quibus *Franciſcus Aluarezius*, & *Damianus à Goes*: Sed non eſt quod diutiùs vos iſtis detineam, cum Eccleſia non ex auditu, ſed fructu, non ex fama, ſed veritate, non ex multitudine, ſed fide ſit æſtimanda. Relictis igitur talibus, quæramus tandem quid in cauſâ ſit quòd in *Sardibus* tam pauca ſunt, vbi multa eſſe debent? certè hoc paſtori vitio vertendum eſt; dum vel inani verborum faſtu aures titillat: vel abſtruſiſſimis, (quibus ſe extricare non poſſit) labyrinthis ſe ſuoſque inuoluit: vel denique quia dum terrenis plus juſto intendit, lupus rumpit ouile, oues rapit & diſpergit, & rapiendo & diſpergendo gregem minuit: grex itaque paſtoris vitio minui poſſit, penitus tamen profligari aut extingui non poſſit, nam efficacia mini-

sterij pendet ex institutione ordinantis, non ex sanctitate vel prauitate ministrantis; efficacia talis est (inquit *Aug.*)qualis ille in cuius potestate datur,nō qualis ille per cujus ministeriū datur: *Christus* enim Eccl. suam vivificare potest per ministros mortuos: Episcopus Ecclesiæ *Sardēsis*, nè longius abeam,peccatis mortuus erat, desidiosus erat & torpescens ocio, qd & reges simul & beatas perdidit vrbes: vrbs tamen *Sardica pauca habet nomina* viua Christi membra quæ *non inquinarunt vestimenta sua*: Sic Deus semper indulsit Ecclesiæ suæ, vt eam nunquàm deserat vel in maximâ Episcopi apostatiâ, quin aliqui, pauciores licèt,pij &verè fideles,mortali oculo inuisibiles,restant etiam in *Sardibus*: At Ecclesia est *mūdi lux*. *Mat.* 5.14. sit & id, non tamen semper visibilis & conspicua: Duo magna fecit Deus luminaria, solem & lunam, so-

lem,

lem, ob præfecturam diei, lunam ob præfecturam noctis; sæpe tamen illas obumbratas videmus luces & prodigiosas pati eclypses: sic etiam luna illa scil. Ecclesia non est semper adeò conspicua, quin suas patitur eclypses, ortus suos habet & defectus frequentes: quamuis enim in terris semper sit Ecclesia, totam sine immutatione sustentans fidem, certum habens numerum eam constanter profitentem, eorum tamen numerus ipossit esse perexiguus, & eorum (inter se) tam occulta professio, vt mundus &. (qui veritatem non spectant,) non videant illos, illis interim absconditis manentibus, ac si non essent prorsùs: neque nos solùm propugnamus hasce fidei eclypses & defectus Ecclesiæ frequentes, sed vel maximè è stabiliri videntur pontificiorum placitis, dum seriò contendunt quod circà tempus passionis dominicæ, vera fi-

des

des in nullâ remanſit niſi in ſola virgine *Maria*, ſic *Halenſis:* imò audent dicere fidem ſic extenuari poſſe, vt ad vnam ſolam aniculam reuertatur, ſic *Æneas Siluius:* imò audaciùs adhuc *Suarez*, *tẽpore Antichriſti vera fides peribit in toto terrarũ orbe*, *Tom. 2. diſput. 54. ſect. 6.* nec minùs rotundè Dom: à Sot. in 4. ſent. diſt. 46. q. 1. art. 1. quod res eſt dicam & breuiùs forſan quam res tanta dici poſſit, totum perire poteſt externum Eccleſiæ regimen, quia localis, & perſonalis paſtorum ſucceſſio impediatur & diſciplina reſiſtatur, ob perſecutiones & hæreſes quæ (inſtar diluuij) omnes ſolent obruere Eccleſias. Sicut igitur *Eliæ* tẽporibus (quando prophetas occidebãt & altaria ſuffodiebãt) ſub rege perdito *Achab*, Deus electos ſuos ſeruos mundo inuiſibiles, ab infanda idolorũ fornicatione ſeruauit puros: ita quoq; *Iohannis* tẽpore ſub

sub *Episcopo Hypocrita* seruauit sibi paucos etiam in *Sardibus* ab impietate incontaminatos, tantus semper fuit Dei amor in Ecclesiam suam, vt in corruptissimo ipsius statu reliquias sibi seruet; etiam in tantâ Episcopi negligentiâ & hypocrisi ecce pauca adhuc *restabũt nomina etiã in Sardibus*; & sic tandem transeo à loco siue *Vbi* horum nominũ in eo quod *Sardibus* sũt, ad eorũ qualitatẽ quod *non inquinarũt vestimenta sua.*

Non inquinarunt. per sordes iniquitatum non temerè se bonis fidei exuerunt, sic *Mathias Hoe*; vel sordidis impuriſq; actibus carnis suæ vestimẽta non polluêrunt, sic *Victorinus Pictauiensis*; vel qui nihil consortij habuerunt cùm inquinamentis mundi, sic *Daniel Tossanus: Non inquinarunt vestimenta. Aselmus* per *vestimẽta* intelligit conseruatam innocẽtiã baptismalẽ, *Ribera* conseruatam gratiã post penitentiã: *Ludouicus de Alcazar* intelligit conscien-

In locum.

In locum.

In locum.

In locum.

In locum.

tiam, quia admisso scelere polluitur conscientia quæ prius fuit munda: *Carthusianus* tripliciter interpretatur istiusmodi vestimenta, vel pro veste *innocentiæ*, vel pro veste *charitatis*, vel pro veste *bonorum operum*. quicquid demum sunt hæc vestimenta, siue sunt bona opera, siue conseruata innocentia, siue conseruata gratia, siue ipsa conscientia, hoc vnum scio quod non sunt inquinata, *Non inquinarunt vestimenta*. At quibus tandem modis dicatur quispiam non *inquinare vestimenta sua*, supplet *Carthusianus* id fieri posse, *primò non committendo peccatum morale, quod pauciss imis* (inquit) *contingit, nos dicimus nullis: vel cùm actu quis habet charitatem & gratiam, studet seruire Deo in charitate & gratia omnibus diebus vitæ suæ*, quod omnibus verè pœnitentibus certum est conuenire, sic *Carthusianus*; sed orthodoxè & magis euangelicé *Alphonsus Conradus*, qui per

veſtimentum hîc intelligit *Chriſti* iuſtitiam, quam non inquinamus, ſed in candore ſuo conſeruamus, cùm nulli alteri iuſtitiæ fidimus, quàm illi quæ per fidem à *Chriſto* nobis imputatur: inquinamus verò hoc *veſtimentum* quando diffidimus hanc Chriſti iuſtitiam poſſe nos gratificari deo, ſed opus etiam eſſe, vt addamus merita operum noſtrorum, ſicut ſacrificuli (inquit) & monachi ætatis noſtræ impiè & docent & faciunt, quod docendo & faciendo vel maximè dicantur *inquinare veſtimenta ſua* ex lege contrariorum; nam *pauca hæc Sardenſiſium nomina Chriſti* iuſtitiam induendo & illi ſoli adhærendo, dicuntur non inquinare veſtimenta ſua: ſi *Perkinſij* ductum ſequamur, alluſio hîc fit ad legem ceremonialem, vbi ſi aliquis *Iudæus* impurum aliquod tetigiſſet, ſtatim & ipſe fuit legaliter impurus, vnde tria propoſuit obſeruanda, *In locum.*

obſeruanda, 1. abſtinendum eſſe ab omni peccato: 2. ne aliorũ peccata quocunq; modo promoueamus: 3. abſtinẽdũ à minimâ peccati ſpecie & apparentiâ; Cõſeruemus itaque omnes *veſtimẽta noſtra* à peccati labe, abſtineamus ab omni occaſione peccati, ne nominetur inter nos peccatum: tum eodem nos Chriſtus ornabit elogio quo hîc in contextu *Sardenſes*, quod *non inquinauimus veſtimenta noſtra*; quod encomium haùd alitèr attingimus quam exemplo monſtrante viam, tam benè viuendo quam benè docendo; nam non ſufficit intelligere & cognoſcere ſcripturas, totumque diem euangelizando producere, ſed etiam veritatẽ euangelij in vitâ exprimere, non enim optimè prædicat, qui viuâ voce, ſed qui vita & voce prædicat, qui vt ſua probet quæ dixerat, facit qd dixerat: quippe religio non tã conſtat in ſpeculatione & notitiâ

intellectus

intellectus, quã in praxi voluntatis; nec beatitudo est tã diuinorũ cognitio quã vita diuina; breui igitur: si cognitio veri & actio boni sit studiũ nostrum, si nos speculationem cùm praxi, & praxin cùm speculatione fælicitèr jungamus tum eodem nos ornabit *Christus* elogio quo in contextu *Sardenses: quod non inquinauimus vestimenta nostra.*

At quàm auidè arripiunt hæc verba sopistæ, & hinc colligunt hominem post baptismum posse viuere absque aliquo mortali peccato, quia *pauca hæc Sardensium nomina Christo* imbuta, abstinuerunt & à peccato & à peccati apparentiâ, vti clamant *Rhemenses* in annotat. suis: Quibus respondet *Fulkus* noster, dicens, quòd nemo est qui quotidiè non peccat post baptismum; dicuntur tamen *non inquinare vestimenta* qui grauibus peccatis non obediunt, & in quorum corporibus mortalibus

talibus non regnat peccatum, non igitur excludit essentiam peccati in illis, sed tollit dominium: Similiter exponit *Richardus de Sancto victore*, de illis qui non perpetrarunt scelera vel quotidianâ pœnitētiâ abluērūt vestimenta; *illis* (inquit) *non reputatur ad pœnam qd diligenter lauāt per pœnitentiam*, dicūtur igitur *hæc pauca Sardensium nomina non inquinare vestimenta*, non quod sunt ἀναμάρτητα vel quia omninò non peccarunt, sed quia ita vixerunt, vt suam constanter nauârint operam non peccare, sed in omnibus deo seruire, & *sic velle*, tam Deo charum est ac perficere: Quin agite iam ô vos omnes qui parum pensi habetis & velle & perficere, desinite tandem iniquitatem imbibere sicut aquam: excludite è regno cordium imperiosum peccati inhabitantis dominium, æterno scelera exulate ostracismo, & date tandem operam

vt

vt ſitis inter *hæc pauca Sardenſium nomina qui non inquinarunt veſtimẽta ſua* aut falſâ doctrinâ, aut idololatriâ, aut lutulentâ vitâ Chriſtus veſtis noſtra eſt, quam in baptiſmo induimus,& toties alio ſacramento quaſi ſuper-induimus: Prouideamus ne ſimus inter illos, qui temerè hanc veſtem Chriſti iuſtitiam abiecerunt,& cùm *ſue ad vomitum redierunt*: ſed abiecta ſemel eâ tunicâ carnis contactu maculatâ *ſit pudor & tandem veri reſpectus & æqui*, vt ſic incedamus cùm Chriſto in albis cœleſti tabernaculo induendis. & ſic tranſeo à *qualitate* horum nominum *quod non inquinarunt veſtimenta*,ad *remunerationem* eorum in proximis verbis,*ideoque incedent mecum in albis*: *non inquinarunt veſtimenta ideòque incedent mecum in albis.*

Tam immenſa eſt dei miſericordia, & tam luculentèr nobis diuina apparet iuſtitia,vt, ſi ex pacto inde-

bitum promiſerit præmium, promiſſum ſeruauerit: ſic qui in viâ *non inquinarunt veſtimenta*, in patriâ ſecum *albis incedent ſtolis*, gloriâ & honore immarceſſibili erunt conſpicui, ſic *Mathias Hoe*; in altero ſæculo æternâ luce & maieſtate coruſcabunt, ſic *Mutheſius*: adeò vt hinc iam electorum gloria & beatitudo eliciatur fæcundiſſimum thema, vbi vel ipſa Rhetorica nimius orator & nequit, quæ quidem beatitudo comparari hîc poteſt, poſſideri autem non poteſt, inquit *Aug.* at vbi obſtupeſcit *Apoſtolus* & ſilet, quis eloquatur? oculus non vidit, auris non audiuit iſta quæ præparauit Deus diligentibus ſe, faciliuſq; ibi inuenimus quid nō ſit, quā quid ſit; hoc tamen tralatitium eſt in ore omnium, quod ibi videbimus Deum eſſentialitèr & vt eſt, non tantum viſione naturali in rebus creatis, vt in ſpeculo, in quo diuinitatis

In locum.

tatis quidam ſplendor refulget; nec tantùm viſione ſpeculari ſeu ſymbolicâ per imagines & ſigna quædam diuinæ ipſius gloriæ, nec ſolùm viſione fidei, quâ in hâc vitâ ex doctrinâ & factis filij, cognoſcimus patris voluntatem ergà nos, ſed etiam lumine gloriæ, reſuſcitatis corporibus modo quem hîc comprehendere non poſſumus; videbimus Deum ſicuti eſt, 1 *Iohan.* 3. 2. Sed non æquali menſurâ ſanctis omnibus & electis fælicitatis gloria communis eſt futura: nam ſicut Deus ſua dona electis in hâc vitâ inæqualitèr communicauit: ſic inæquali gloriæ modo in cœlis illa dona ſua in electis coronabit, *vbi licèt diſpar ſit gloria perſonarum, attamen communis erit lætitia omnium, inquit Auguſt*: vnuſquiſque enim in albis cùm Chriſto incedet ſtolis, (i.) gloriâ & honore imarceſſibili erit conſpicuus: & quis non tripu-

diet ob album illius gloriæ & ſplendoris veſtimentum? quis non exultet ſe ambulaturum, non cùm dæmonibus, vlulatibus, vltrà æternitatem conſeruatis, ſed cum *Chriſto Ieſu* & angelorum choris: ô conuerſationem deſideratiſſimam, cujus cum guſtum ſaltem ſentiret *Petrus* eam expetiuit perpetuam: vincamus igitur omnes eos quicunque tela malitiæ & impedimenta neſcio quæ obiecerint: ad hoc vel ſpes præmij nos alliciat, cùm in *albo* amicti erimus, in æternum cum *Chriſto* & angelorum choris ambulaturi; & ecquis è militantium turbâ eſt quem tanti ſpes præmij non alliciat? annon miles vehementèr confirmatur ad quæuis pericula ſubeunda, ſi ſperet victoriam fore glorioſam? & quia non minor eſt virtus quærere quàm parta tueri, pro cõſeruandà patriæ libertate auſi ſunt plerumq; notas cõtaminare

manus

manus; hinc *Brutus* occidit filios, ſic eum *vicit amor patriæ laudumq; immenſa cupido*: hinc Decii ſe deuorârunt vt legiones ſaluæ & victrices evaderent: hæc illi tam magna & ſplendida facinora ediderunt, tantùm quò laudes humanas captarent, & terrenam conſeruarent rempublicam: Nos viri Chriſtiani ſi pericula ſubimus, Deum ipſum habemus mercedem, regnum cœlorum, & æternum cùm angelis commercium (vt palmam) reportabimus: Eia iam, agite (ô fideles animæ) quarum diuturna eſt ſollicitudo ne *inquinetis veſtimenta veſtra* vitiorum ſordibus: vobis magna reponitur gloria cum vniuſcuiuſq; facies emicabit ſicut ſol in firmamento; & *qualis tunc erit ſplendor animarum quando habebit ſolis claritatem, lux corporum*, inquit *Auguſt.* quãdo cùm chriſto incedetis albati nec alij vobis erunt ſocij quàm

congregatio primo-genitorum; qui
sua natiuitate secundâ filij Dei sunt
& fratres *Iesu Christi* nobilissimo &
regali stemmate prognati; nam in
cœlesti illâ Ierusolyma vnusquisq;
ciuis regio ornatur diademate, v-
nusquisq; ciuis in albis cùm Chri-
sto incedet stolis: Sanctorum tri-
umphantium fælicitas appellatur
vita, & talis quæ est æterna vocatur
gloria, & talis quæ est corona glo-
riæ nuncupatur regnum, & hoc in-
concussum; hæreditas dicitur quæ
est immortalis, immaculata & non
peritura: dic mihi (ô homo) quid
desideret cor tuum? estne aliquid
tibi charius quàm vita? estne ali-
qua præstantior vita quàm vita glo-
riæ? estnè aliqua maior gloria
quàm regnum gloriæ? estnè ali-
quod permanentius regnum quàm
quod iure hæreditatis tibi vindi-
ces? omnia hæc, siue vita, sine coro-
na vitæ, sine gloria, sine regnum
gloriæ

gloriæ præparantur incedentibus cùm Christo in albis, *quia digni sunt*, quæ est ratio confirmans hanc remunerationem per viam diuinæ acceptationis in vltimis verbis, *Quia digni sunt.*

Digni sunt hisce præmijs vt cùm Christo incedant in albis, at qua tandem dignitate, non meriti sed dignitate gratis imputatâ, sic *Hoe*; digni sunt, non merito, sed imputatione, adde etiam ex pacto & vi gratuitæ promissionis Dei, sic *Mutheſius*; digni sunt dignitate Christi non operum dignitate, sic *Fulkus*; dignitatem habent personæ operantis per imputationem iustitiæ Christi; non operis operati, sic *Perkinsius*: At stabilire videtur hic contextus commentum pontificiorum de meritis condigni: vitioſè tamen concluditur, à particula ὅτι, quæ non causam meritoriam sed qualitatem iustitiæ Dei congruam,

In locum.

In locum.

non quare sed quales ambulaturi sumus, denotat: vitiosè etiam concluditur ab homonymiâ vocis (digni) quæ sanè dignitatem aliquando innuit meritoriam, aliquando significat idem quod conueniens, aptum & decens *Matth.* 3. 8. ita hîc digni sunt ambulare mecum (id est) conuenit: nec malè congruit vt mecum ambulent non διὰ sed κατὰ τὴν ἀξιότητα, non propter sed secundum dignitatem: vel quia digni sunt non dignitate meriti, sed quia non inquinarunt vestimenta sua, quia vestem nuptialem immaculatam retinerunt, verâque fide vsque ad finem contrà insultus Satanæ viriliter contenderunt; atque sic collectio Pontificia tota collabascit pro meritis condigni: Sed perpendamus paulispèr quid sit meritum condigni: ponunt aduersarij meritum de condigno esse aliquid cui in rigore iustitiæ debetur merces

ces & præmium, ita quòd si illis non reddatur fit iniuria,& Deus esset iniustus, quod vt blasphæmum reijcit *Durandus* in 2. *sentent. dist.* 27.qu: 2. quod etiam vt monstrosum Iesuitarum dogma, non solum scriptura sed etiam rectæ rationis norma, finibus nostris explosit & eliminauit: quippe vt aliquid sit meritorium ex condigno quatuor exiguntur inquit *Chemnitius*, 1um vt opus sit nostrum alitèr non est meritum; sed opera non sunt nostra, sed ipsius Dei in nobis operantis, *Iac.* 1.17.2um vt non sint ex officio; sed nostra opera sunt ex officio *Luc:* 17. 10. 3um vt opus habeat aliquam proportionem cum vitâ æternâ siuè cùm eo quod meretur: 4um vt sint ad bonũ eius cuius gloriâ præstantur: at opera nostra non sunt in bonum Dei, & per consequens non sunt meritoria: Sic omnis retributio operum est ex pacto

non

non ex merito; operãturq; iſta opera deorſùm quantùm ad homines, non ſurſùm quantùm ad Deum. At operanti datur merces: eſto, ſed indebita & gratuita qualem pater dat filio, non qualem herus dat mercenario, vt rectè *Pareus*: Sed inſurgunt *Ieſuitæ* ex *Aquinate* 1ª. 2æ. *q.* 114. non dari quidem ex debito, ordine iuſtitiæ; dari verò ex debito, ordinatione diuinâ, quatenùs omne promiſſum cadit in debitum. Sed egregiè halluciantur voraces hi librorum helluones quippe ordinatio diuina non hæc eſt, vt vitam æternam meritis conſequamur, vel vt à deo cuiquam ex merito detur; ſed iuxtà Euangelium ordinatio diuina hæc eſt, vt vita æterna detur non operantibus, ſed credentibus, non ex debito, ſed ex gratiâ, quia donum dei vita æterna, ad *Roman.* ſexto & vltimo: operatur quidem fides (quia per charitatem eſt efficax)

cax) verùm, non ideò operatur vt mereatur, ſed vt obedientiam debitam deo præſtet; Nullum verò debitum poteſt cadere in meritum. At omne promiſſium cadit in debitum: verum eſt inter homines, inter quos datur naturalis & legalis obligatio; Dei tamen promiſſionem cadere in debitum falſum eſt, tum quia inter deum & creaturam (vt finitum & infinitum) nec proportio, nec obligatio datur ex parte dei, tum quia tam promiſſio quàm donum promiſſum meræ eſt gratiæ: ex gratiâ enim promittit ſe daturum & ex gratiâ dat. At reſiliunt iterum (eſt hoc ingenium contumaciæ, ſubjici poſſe non domari,) & dicunt quòd promiſſione deus fit nobis debitor; negat hoc *angelicus Doctor* 1ª.2æ. quæſt. 114. non (inquit) ſequitur quòd deus efficiatur ſimplicitèr debitor nobis, ſed ſibi ipſi: promiſſio etiam diuina non

ſonat

sonat in aliquam obligationem, sed insinuat meram dispositionem liberalitatis diuinæ, sic *Durand.* 2. sent. dist. 27. qu. 2. Ambitiosè adderem hîc muneri meo pompam, si *Scholasticorum* testimonia & patrum ad nauseam vsque (vt solent.) hisce accumularem: Volitat per ora virûm illud *Augustini, non pro merito accipies vitam æternam sed tantùm pro gratia,* nec minùs illud *Bernardi, si propriè appellentur ea quæ nostra merita dicimus, spei quidem sunt seminaria, charitatis incentiua, occultæ prædestinationis indicia, futura felicitatis præsagia, via regni non causa regnandi.* *Atque inter* Scholasticos *vnus pro cunctis loquatur* Durandus, *Quod redditur potiùs ex liberalitate dantis, quàm ex debito operis non cadit sub merito* de cõdigno, *sed quicquid à Deo accipimus, siue sit gratia, siue sit gloria, siue bonũ temporale, siue spirituale, potiùs accipimus ex liberalitate dei dantis*

De grat. & lib. Arbit. in fine.

tis quàm ex merito operis, ergò nihil penitus cadit ſub merito de condigno; ſic nerueſe ſyllogizat in 2. ſent. diſt. 27. qu. 2.

Reſtat itaque *(Patres & Fratres)* quòd *Sardenſes* hi fuere *digni*, non dignitate aliquâ propriâ ſuorum operum, ſed tantùm liberâ dei acceptatione & dignitate diuina. Erubeſcite iam tandem anathematizantes *Tridentini* patres, fauete linguis malè ominatis illis, parcite verbis, fruamini per nos meritis veſtris, operibuſque ſupererrogatorijs, interim totum noſtrum eſt *Chriſti* meritum, fixum ſtat nobis hoc fundamentum, dum intereà veſtrorum inſtabile meritorum corruit ædificium. Vos interim ad vnum omnes cauete à fermento *Phariſæorum Romanenſium*, nolitè cùm illis opinione propriæ dignitatis intumeſcere; tituli alicuius honorarij forſàn & temporalis gloriæ,

riæ, possit esse dignitas, qualem vobis pro materno affectu indulsit Academia, qui sedetis hodiè in hisce purpuratis subsellijs, verùm æternæ in cœlis gloriæ nullum est omninò ex condigno meritum. Vnà igitur cùm pileis & purpuratis istis vestibus, induite salutis vestem, *Christi* iustitiam, vt diuinâ digni sitis acceptatione: nec inquinate posthâc vestimenta vestra aut falsâ doctrina, aut lutulentâ vitâ; quod si contigerit vt dein grauiter peccetis, lachrimis & quotidianâ pœnitentia iterum abluite; vt sic à vitiorum sordibus purgatis, aperiantur vobis cœlorum portæ, & incedatis omnes cùm *Christo* & *paucis* hisce *Sardensibus in albis*, quia in Christo digni estis. Quod faxit Deus propter misericordiam suam, & propter merita filij sui *Iesu Christi*, quibus, cùm *Spiritu Sancto*, sit omnis honor, laus, & gloria in sæculo sæculorum. *Amen.*